

1259 d. m. | Vettius Agorius Praetextatus augur, | p[*o*]ntifex Vestae, | pontifex Sol[is], quindecimvir, | curialis Herc[*u*]lis, sacratus | Libero et Eleusi[*ni*]s, hierophanta, | neocorus, tauroboliatus, | pater patrum¹, in [r]e publica vero | quaestor candidatus, | pretor urbanus, | corrector Tusciae et Umbriae, | consularis Lusitaniae, | proconsule Achaiae², | praefectus urbi², | legatus a senatu missus V³, | praefectus praetorio II Italiae | et Illyrici, consul ordinarius | designatus, | et Aconia Fabia Paulina c. f., | sacrata Cereri et Eleusiniis,⁴ | sacrata apud Eginam Hecatae, | tauroboliata, hierophantia.⁴ | Hi coniuncti simul vixerunt ann. XL.

(*In latere dextro*) Vettius Agorius Praetextatus | Paulinae coniugi. |

Paulina, veri et castitatis conscia,
dicata templis atq. amica numinum,
sibi maritum praefereus, Romam viro,
pudens, fidelis, pura mente et corpore,
5 benigna cunctis, utilis penatibus
caldas n us . . . n .
(*nonnulla perierunt*)

(*In latere sinistro*) Vettius Agorius Praetextatus | Paulinae coniugi. |

Paulina, nostri pectoris consortio
fomes pudoris, castitatis vinculum
amorque purus et fides caelo sata,
arcana mentis cui reclusa credidi,
5 munus deorum, qui maritalem torum
nectunt amicis et pudicis nexibus,
pietate matris, coniugali gratia,
nexu sororis, filiae modestia,
et quanta amicis iungimur fiducia,
10 aetatis usu, consecrandi foedere,
iugi fideli simplici concordia
iuvans maritum, diligens, ornans, colens.

(*A tergo*) [Sple]ndor parentum nil mihi maius dedit⁵
[quam] quod marito digna iam tum visa sum,
[se]d lumen omne vel decus nomen viri,
Agori, superbo qui creatus germine
5 patriam, senatum coniugemq. inluminas
probitate mentis, moribus, studiis simul,
virtutis apicem quis supremum nanctus es.
Tu namque quidquid lingua utraq. est proditum
cura soforum, porta quis caeli patet,
10 vel quae periti condidere carmina,
vel quae solutis vocibus sunt edita,